

9.

**CONCERTATIO MEDICA
DE DYSENTERIA,**

QUAM

PRO GRADU LICENTIATUS

12



OBTINENDO

AUSPICE DEO,

Et Praeside D. D. Emmanuele Valdes,

PRIMAE MEDICINAE EXEDRAE MODERATORE,

ET REIPUBLICAE PERUANAE

ARCHIATRO,

SUSTINEBIT

Ios. Eugenius Eyzaguirre

BACCALAUREUS MEDICUS,

ET COLEGII MEDICINAE


FUNDATOR,

IN DIVI MARCI ACADEMIA,

DIE 20 DECEMBRIS ANN. MDCCCXXXIV.




LIMAE TYPIS DOMUS IOS. MASIAS



TITULARIS MEDICA.

In nostra dysenteria venae sectiones, emollientia, purgantia lenitiva, emetica et opiata debito tempore adhibita prosunt; At contra, Submurias, vulgo Calomelano, fere semper nocet.



THESES.



- I. Dysenteria quae antea ingruente autumno post ardentem sirium sub Iove nostro increbrescebat, et brumali frigore pene extincta non multos dehinc aggrediebatur, hodie per totum anni tempus in populum grassatur, et magnas edit strages. Nec mirum, cum magna nostratum pars exterarum gentium cum quibus haud ita pridem societatem conflavere, vivendi rationem secuti, potui coffé, et spiritibus ardentibus diu noctuque indulgeant. Et si hi [ut plerumque solet] aromatibus oleosis acriores redduntur, tunc acerrima vi ventriculum intestinaque pungendo et irritando, dysenteriae aliisque mali moris aegritudinibus ansam praebent.
- II. Utrum dysenteria per contagium suscipiatur, necne, clinici disceptant. Limae nunquam observavi dysentericos inficere sanos. Attamen non inficior in no-

socomiis et castris ubi tempore epidemico plurimi dysenteria vexati in arctis coacervantur locis, eis assidentibus multum olidae exalationes obesse, quas cutis et pulmones creberrime trahunt; nam cerebrum nervosque enervant, vires labefaciunt, abdominalia viscera ad chylopoiesim obeundam imparia reddunt, et istiusmodi affectos ad populares morbos paratos constituunt.

III.

Decocta emollientia, farinacea et gummosa alnum dysentericis nutrimentum suppeditant; et praeterea acria inviscant, tensa et constricta relaxant. Ideirco cum abdomen tumescit, aegrique doloris morsu premuntur, pro victu et communi potu clinici scopum adimplent. Si vero dysenteria cum febre biliosa sociatur, quam pulsus celeritas et durities sine plenitudine, calor mordax et urens, oris amaritudo, nausea et ad vomitum proclivitas demonstrant, serum lactis, tamarindi, tartras acidulus potasse, et caetera vegetabilia acida aqua pulli tenerioris diluta praedictas potiones virtute praestant.

IV.

Si inflammatoria febris dysenteriae comitatur, sanguis ipso morbi initio mittendus usque adeo ex febris remissione, dolorumque levamine, inflammationem evanuisse censeatur. Plures hoc morbo opressos, qui per venam extemplo incisam evasissent, ea omissa aut procrastinata mors arripuit. Vulgari quippe errore non pauci medici ducti, venae sectionem in dysenteria etiam inflammatoria, purgantibus postferendam esse firmiter tenent, nam mente fingentes incarcerationem in ventriculo et intestinis crudum infartum, quod vulgo dicitur *empacho*, semper huius morbi causam esse, idque plus post venam tusam adhaesurum, iteratis clysteribus et purgantibus tantummodo expulsurum, iis alvum solvere molliuntur. Quo pacto quantumvis transactis primis morbi diebus venae secentur, inflammatio ad jecur, caeteraque viscera quae intestina adjacent plerumque producta, ultro in lethalem gangrenam desinit, vel magno discrimine plures in menses protrahitur. Tirones ergo et comprofessores hoc errore captos, per omnia sacra obtestor ab hac sententia discedere, et huius concertationis praesidi diuturno clinices usu experto fidem facere.

V.

In febre vero biliosa vel venae sectionem praetermittere praestat, vel post unam aut alteram illi superse-

dere. Minime vero credendum est in dysentericis febricitibus sanguinis missionem tantummodo prodesse: nam in aetate florentibus modo caetera consentiant, facilius erit imminemem inhibere phlegmasiam, quam supervenientem deducere.

VI. Dysenteria sine purgantium usu minime saepe solvitur. Sed in horum numerum quae raro praescribenda sunt, exedit referre Rhabarbarum, quod a priscis et etiam a Zimmermano, Pinelo, aliisque neotericis commendatur, et oleum Ricini, quod angli et aliquot nostratum medici qui eis impraemeditato assentiuntur, in dysenteria usurpant: nam dolores, tormina, tenesmus, febrisque post eorum usum saepe in pejus vergunt. Tutius ergo est cum manna aliisque lenientibus quoadusque morbus remittat tertio quoque die iteratis, alvum ducere, quam drasticis purgantibus: ast cum dolores a magna irritatione saeviunt, oleum amygdalarum dulcium, aut manna cum oleo caeteris eccoproticis anteferenda sunt.

Ex dictis patet quid mihi sentiendum erit de protochloruro vulgo *Calomelano*, quod empirici angli, eorumque asseclae magni faciunt, et ceu unum in dysenteria praesidium laudibus efferunt. Si in Syphillidis medela clinicos multotiens paenituit hoc drastico purgante usos fuisse, ob exitiosam dysenteriam ab irritatione secutam; fas erit eo hoc ipso in morbo uti, qui in valida intestinorum irritatione consistit, et quem plerumque febris inflammatoria comitatur? Sed rationi parcendum est ut experientia veritatem promat. Cum animo jampridem fuissem sine ulla religione experiendi anti-dysentericas protochloruri vires a pluribus praemandatas, et aliquot dysentericos qui febrili et gravioribus synthomatibus carebant, huius remedii subjecissem periculo, en probationis summa. Eorum quibus ad quatuor grana protochlorurum intra noctem dedi, nec ullus fuit qui ad melius transcurreret: et qui majorem dosim sumebant, in deterius labebantur. Posteaque certior factus cum aliorum testimonio, tum propria observatione in aegris quorum medela aliis commissa fuerat, de multorum miserimo statu, qui propter protochlorurum ad viginti aut triginta grana, ut moris est

anglorum, inconsulto praescriptum, aut suffocati ob ptyalismum, aut syncoptici ob copiosam haemorrhagiam, vel ob gangrenam decesserant, in dysenteria hoc uti medicamento nefas esse sine haesitatione duxi. Id propterea tironibus suadeo ne quibus aliter sentiant, suam credulitatem addicant.

VII. Balnea emollientia, clysteres et cataplasmata ejusdem generis dolores sedant, et inflammationem resolvunt: ea idcirco dum morbus viget a clinicis commendantur.

Eadem commoda quae relaxantia aquosa et oleosa ad abdomem applicita conferunt, epispastica et vexicantia quae aliter agunt, et partes ad quas apponuntur acerbis afficiunt doloribus, conferre, nisi ad id percipiendum viam nobis experientia magistra aperiret, quis crederit? Cum enim omnibus compertum sit minutissimas vexicantium partes per cutis vasa bibula absorberi, sanguifera subire, organa urinaria petere, dolorificas strangurias parere, febrimque augere, eorum usum in praedictis morbis Baglivius, Hoffmanus, caeterique illius temporis medici pertimescebant. Quid plus cum ratione cohaeret? Quid vero experientiae magis adversatur? Ex partibus internis ad externas inflammationem vexicantia revellunt, atque hac ratione in dysenteria, caeterarumque viscerum phlegmasiis lauducuntur.

VIII. Per emetica antimonialia, ut tartarus stibiatus, et vini antimonii ceratum Pringlius, Zimmermanus, Cullenius et alii celeberrimi clinici, huius morbi curationem inchoant: ea tamen in initio sunt periculo plena. Nec mitiora ut radix Brasiliensis in principio prodest, sed tantum jam senescente morbo, et in diarrheam vergente, quamquam secus videatur praecitatis autoribus: nam ab intempestivo emeticorum usu lethalem gangrenam insecutam fuisse, pluries observavi. Attamen tantorum virorum memoriae labem spargere videar, abs dubio planum illis fuisse sentio hanc profuturam methodum ob nauseam, vomendi conatum, aliaque signa non tantum sympatiae irritationis, sed praecipue saburrae in ventriculo et duodeno hospitantis quae cito et sursum exturbari indicabat. Sed nulla fides est adhibenda Pinelo, qui quoniam in febre meningo-gastrica

ingestorum infartum semper adesse somniabat, in dysenteria cum febre sociata emetica in principio praescribere jubet.

Grates rependendae sunt novissimo medico parisiensi Broussais, quia partes celeberrimi Pineli in hac materia non tenuit, invictissimisque argumentis et cultello anatomico emeticorum noxam in morbis cum magna ventriculi aut intestinorum irritatione perspicuam reddidit. Utinam ipse qui e recta deflexos in viam reducere conatus est, alterorsum se non defflexisset. Perfecto hic auctor varias et inter se oppositas ventriculi et intestinorum irritationes adeo in mente permiscuit, et ad unam phlogisticam retulit, ut in eis cuiuscumque generis, ad iteratas sanguinis missiones phlebotomi vel hirudinum ope confugeret.

IX. Attente praecipue opii in hoc morbo exhibendi perpendenda est occasio. Ab Hipocrate enim in praesens usque tempus illustrium clinicorum alteri opium ut omnium anti-dysentericorum praestantissimum praedicant, alteri ut infensissimum omnino rejiciunt. Inexpertum qui percelebrium medicorum super hac re magni momenti oppositas sententias legerint, quid concili capient ad lectos aegrorum merito haesitantes? Nil mirum quod plures decesisse videamus vel ob opium intempestive adhibitum, vel ob id plane praetermissum. Ne in eo exhibendo denuo fallantur, quod diuturna experientia probatum teneo, paucis dabo. Cum dolores dysentericos magnopere torquent, etiam morbi initio, praescissa si opus fuerit venae sectione, opium non tantum solaminis ergo, sed etiam verae et magnae utilitatis confert. Eo quippe inflammationi et gangrenae ob dolorum acerbitatem minitanti obviam itur, ejusque ope intestina ad evacuantia sine discrimine suscipienda premoliuntur. Tuto itidem quovis morbi tempore praescribi debet infantibus, histericis et hypocondriacis, qui doloribus et vigiliis cruciati facile convelluntur.

Praeter hos casus opium in morbi initio lethales inducias fert: nam aegri paulo post ejus usum alvo contracta non raro singultant, sudore que frigido perfusi a vita desciscunt. Jam vero inflammatione discussa, sordesque intestinorum ex integro eliminatae, cum

morbus ad declinationem properat, nil efficacius, nil securius opio. Eo enim parva dosi bis aut ter intra noctemerom per aliquot dies assumpto, aegri extra aleam et recidivae discrimen ponuntur.

- X. Veteres qui in ulcere intestinorum dysenteriam sitam esse autumabant, adstringentiaque virtute cicatricem obducendi pollere, ad haec post evacuantia fidenter confugiebant. Neoterici vero qui in dysentericis factis huius morbi naturam expicantur, eamque esse phlogisticam deprehendunt, nil in ea abstringentibus exitiosum esse decernunt. Huius generis sunt arcana quibus garruli pseudo-medici plures dysentericos sub specie boni paulisper decipiunt. Lupo quippe in ovile ocluso, ut cum Brunnero et Tissoto loquar, vel morbus non post multos dies ferocius saevit, vel subito in gangrenam immedicabilem desinit. ;Et quoniam Medicinam, quam Reges et omnes populi qui civilem vitam degunt maximi pendunt, huius Reipublicae legiferi vetustis privilegiis exuerint, et cum vilioribus artibus parem esse sanciverint, cuilibet empirico quin periculum scientiae subeat in ea versari licebit? Pudore suffundantur qui lucri, favoris aut amicitiae gratia in causa sunt quod sine ulla animadversione a circumforaneis et mulierculis hoc iniquum patretur in Republica facinus.



TITULARIS PHISICA.

Radii solares qui cometarum atmosphaeram rarefiunt, horum barbam, caudamque confingunt.